

qui tanquam pro aris & focis pugnat, quod nullo modo sit Cardiacum, & non conveniat in peste, cui & ipse subscribendum & assentiendum esse censeo. Notum etiam est, quod mulieres plurimæ non ferant Moschi odorem. Nam observetur, quod mulieribus, si sint Epilepticae, cum suffocatione uterina graveolentia noceant, suaveolentia vero conducant: si contrario modo contrarium. Rarum est quod habet RIVERIUS Cent. 4. Obs. 35. de quodam, qui assumpsit Moschum pro curatione quartanae: Unde post paroxysmum habuit sudorem Moschi odorem referentem. Ex Moscho uti & Zibetho potest fieri *Essentia cum spiritu vini* non inelegans, de qua vid. FABER in *Myrothecio spagy.* Cap. 26. lib. 1.

MULUS.

SANGUINEM muli sive mulæ potius quidam illinunt ad tollendas verrucas, & LICHENES muli in vino infusi & vinum infusionis porum ad Epilepsiam commendantur. Ulterius SPUMA oris mulæ collecta, & in vino calido propinata, *asthmaticos curare* dicitur: URINA cum luto suo pedum *clavos curat*, dicit AUCTOR. Imò hoc ipsum in pedum *podagra* seu articulari morbo mirè convenit.

MUS DOMESTICUS.

STERCUS murium dicitur *album nigrum*, supra habuimus sub cane de albo græco: CINIS murium internè commendatur ad *mictionem involuntariam*. Vnde etiam mures elixi in cibo & pro cibo dati infantibus, impediunt quò minus noctu stragula permingant. CAPITA muris *ustæ* seu calcinata, cum melle mista, & partibus glabris & calvis illita, solent curare *alopeciam*. *Muscæda* seu stercus muris sive album nigrum convenit pro *laxanda alvo*. Vnde notum est, quod sint *suppositoria* ex melle & stercore murium pro stimulanda alvo, quæ dicuntur *aucta*, quoniam valdè stimulant: stercus murium permiscetur etiam *clysteribus* pro stimulanda alvo & intestinis. 7. Stercora muris assumpta potentius stimulant quam clyster. Vnde elegans est *modus purgandi infantes*: sumitur unum vel alterum stercus sive *Muscæda*, & pulverifatur, propinatur cù pulmento infanti, lenitè enim inde & eleganter purgantur.

MUS MONTANUS seu ALPINUS.

Das Murmeltzier.

ADEPS muris montani mirè conducit in *pleuritide* externo illita, fuitque *secretum* PARACELSI pro sistendo ac compescendo dolore curandaque pleuritide. In MYNSICHT *armamentario medico-chymico* habetur oleum sive unguentum *contra pleuritidem*, cujus fundamentum seu Basis est axungia muris alpini sive montani pag. 188. PARACELSI unguentum in omni pleuritide usitatum fuit hoc:

- ℞. pinguedinis muris montani ℥j.
- olei amygdalarum dulcium ℥ss.
- olei Chamomill. rosarum aa. ℥j.

M. Fiat Unguentum.

OVIS.

Quod habet AUCTOR, de CEREBRO

arietis, quod profit in *arcendo somno* immoderato in morbis epidemiis vid. imprimis in BVRGGRAVIO de morbo ungarico cap. 9. p. 52. Cerebrum ovis sicuti etiam arietis commendatur illitum gingivis ad *facilitandam dentitionem*. Quæ habet AUCTOR, sunt satis clara, de FELLE, quod soleat in specie commendari ad cancrum exulceratum gangranamque, si illinatur ad similitudinem linimenti vel unguenti, PULMONES & alia viscera carnosæ capiti profunt, dicit AUCTOR: In *phrenitide* ℞. pulmo velex ove vel agno vel vervece, & circumdatur sive applicatur capiti raso calidè, sicque mirè commendantur ab auctoribus: id quod etiam fit, si gallina nigra discindatur per medium dorsum, & calidè applicetur capiti, quemadmodum multum laudat LINDANVS in Collegio super Hartmannum. De CARNE vervecina nocte instar multarum lampynidarum lucente. vid. Cent. 1. obs. BORELLI obs. 3. p. m. 6. OMENTUM adhuc calidum ex ove extractum & applicatum abdomini in *Colica & Dysenteria* certum est remedium, & comprobatum hoc habuit AMATVS LVSITANVS in *Curationibus*. STERCVS commendatur ab AUCTORE in *angina sive Ictero flavo*: Cæterum omnia stercora curant Icterum, in specie tamen stercus Anserum juniorum. VESICA ovis & vesica capræ sunt specificum in *mictu involuntario*. Vesica ovis aut in defectu ejus vesica capræ exsiccatæ dantur ad ℥j. & valdè convenit in mictu involuntario, vid. *Prax. Chymiatr.* HARTMANN. part. 1. pag. 252. & quidem plurimis vesicis hæ vires sunt communes, ita præter vesicam ovillâ & caprinam etiam convenit in mictu involuntario vesica suis, vesica apri, item vesica tauri.

RANUNCULUS VIRIDIS,

der Laubfrosch.

NAM ut ut omnes ranæ sint officinales, præcæteris tamen est *officinalis ranunculus viridis*, & inter reliquas eligenda, quæ vivunt in aquis salubribus & limpidis, quæ verò in aquis degunt stagnantibus, palustribus & fracidis, ceu malignæ sunt rejiciendæ. Quæcunque rana *pulverisata internè* convenit in *sistendo sanguine*. Vnde vel *appensa* solet interdum substitui bufoni in sistendo & compescendo sanguine. Item ranæ commendantur *externè* in *ulceribus malignis* & etiam in *cancro exulcerato*. Sunt qui præscribunt ranas bene pastas & *coctas* vel *assatas in hectica* vel *phthisi*: in quibus morbis singulares sunt Italis. ▽. *destillata* ex ranis, uti etiam pulvis ranarum convenit in *ulceribus malignis*, inflammatis & aliis. Vid. HOEFERVS in *Hercule Medico* pag. 66. Vti etiam in *scriptis* HILDANI; sunt qui præcipiunt, ut ranunculus viridis totus calcinetur, & de pulv. quantū cullæ cuspide capi potest, in lacte muliebri propinetur infanti statim post partum, antequam lac vel alium cibum assumat, sic enim fieri dicunt, ut *preservetur infans ab epilepsia*. De ranis aquaticis habebimus, ubi de insectis.

RHINOCEROS.

A Nimal ingens, taurum magnitudine æquans, nimis robustum, de quo vid. *re-*

* 2 3

rum